





22  
1784 7

ORDINIS IVRIDICI

IN  
*ACADEMIA VITEMBERGENSI*

H. T.

PRO - DECANVS

D. GEORGIVS STEPHANVS  
WIESAND

PROFESSOR DIGESTI INFORTIATI ET NOVI  
ORDINARIUS CVRIAЕ PROVINCIALIS CONSISTO-  
RII ELECTORALIS SCABINATVS ET FACVLTATIS  
IVRIDICAE ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO  
SALVTEM.

ORDINIS MARJICI  
ACADAMIAE MATHEMATICAEC  
TROPPONENS  
D. GEORGIVS STEPHANVS  
ALESAND

PROTESSOR DIGESTI INTENDIT ET NOV  
ORIGINIAE CARiae PROVINCIÆ CONSTITUTIO  
CIVILIAE ET CIVILITATIS  
INSTITUTIO AERONOMIA  
TURCICA AZZEGNO

ELECTORI BRUNIACO  
MAGISTER



**I**nter hiemis praeteritae incommoda in primis hoc est referendum, quod omnes sere Europae regiones immoderata niuis copia fuerint obrutae. Inde prosectorum est repetenda origo inundationum, quae postea horrenda damnna attulere, magnam hominum atque animalium copiam consumsere, aedificia urbana et rustica vastauerunt, arbores, ligna variamque supellestilem vi abstulerunt, pontes viasque corruperunt, et ipsos, quibus agri, prata et siluae discernuntur, fines perturbarunt. Vt vero haec flebilis calamitas tristitia, quibus humana vita exposita est, fortunae aduersae pericula



ricula satis luculenter ostendit; ita non est dubitandum, quin inde quoque multae eademque insignes oriantur iurium vicissitudines. Multis ingens aquarum vis bona sua ita abstulit, ut ea amplius recuperare nequeant. Alii e contrario ipsa inundatione fuere impediti, quo minus iura dominii, vsusfructus aliarumque seruitutum suo arbitrio amplius exercere potuerint. Deploranda omnino est eorum conditio, quibus sacra aquarum violentia patrimonium multo labore collectum eripuit. Sed ipsa legum aequitas calamitosis hominibus vbius succurrerit et damna a periculo inundationum imminentia, quantum fieri potest, minuere atque auertere studet. Id quidem in praesenti illustri exemplo monstrare instituo, dum breuiter §. 24. I. de divisione rer. interpretari atque de inundatione speciem fundi non mutante, expōnere cupio.

Verba §. citat. ita iacent: *alia sane causa est, si cuius totus ager inundatus fuerit, neque enim inundatio fundi speciem commutat.* Et ob id, si recesserit aqua, *palam est, eum fundum eius manere, cuius et fuit.* Est vero hic locus ex Caii Libr. 2. rer. quotidian. sumptus, atque iisdem verbis in l. 7. § 6. D. de adquir. rer. domin. exhibetur. Ut vero eius sensum melius percipiamus, §. proxime antecedentem cum nostra lege coniungere debemus. Ibi quidem traditur, magnam iurium mutationem contingere, *si flumen cursum mutauerit et naturalem alueum prorsus re-*  
*lique-*

liquerit, quia tunc vetus alueus derelictus iure accessionis,  
 cedit praediorum finitimarum possessoribus, nouus vero al-  
 ueus eius iuris esse incipit, cuius ipsum flumen fuit. Por-  
 ro ibidem praecipitur, tunc, si post aliquod tempus, flumen  
 ad pristinum alueum fuerit reuersum, nouum alueum non  
 redire ad priores dominos, sed potius ad eos, qui prope ri-  
 pam praedia possident, pertinere. Vti vero Tribonianus haec  
 omnia ex Caii leg. excitat. §. 5. sumisit, ita more suo, non  
 totam Caii sententiam suppeditauit, sed eam mancam et mu-  
 tilam proposuit. Putauit scilicet, id sufficere tironibus, si  
 sciant, alueum plenum, vti ipsum flumen, esse publicum; al-  
 ueum derelictum cedere praediorum finitimarum possessori-  
 bus; nouum vero alueum, qui, dum flumen priorem cursum  
 repetit, rursus destitutus est, neutquam a prioribus dominis  
 repeti posse, sed pariter inter finitos possessores esse diui-  
 dendum, e contrario vero per inundationes eiusmodi muta-  
 tionem non accidere, propterea quod ea dominium fundi  
 non amittatur. Silentio vero omisit humanam Caii senten-  
 tiā, quam quidem in l. adduct. hoc modo exhibuit: *cuius*  
*tamen totum agrum nouus alueus occupauerit, licet ad*  
*priorem alueum reuersum fuerit flumen, non tamen is,*  
*cuius is ager fuerat, stricta ratione quicquam in eo alueo*  
*habere potest: quia et ille ager, qui fuerat, desit esse, a-*  
*missa propria forma, et quia vicinum praedium nullum*  
*habet, non potest ratione vicinitatis ullam partem in eo al-*  
*ueo habere, sed vix est, vt id obtineat.* Dici vix potest,

a 3

quas



quas turbas hic locus excitauerit et quantopere in eo interpretando sese nonnulli interpretes torserint. Connarus in *Commentar. iur. civil. Libr. 3. cap. 5.* statuit, eum sic esse explicandum, vt ager meus subita inundatione occupatus, meus esse non definit et agrum quasi postliminio ad me redire, siue fluuius impetu, siue clandestino recessu, in priorem alueum se repperit, quia tunc fundis vicinis nihil per alluisionem accreuerit. Aliud vero esse dicendum, si alluuiione latenti flumen in agrum meum irrepserit, quia tunc definit meus esse fiatque vnu publicus iure gentium, proprietate autem eorum, qui vtrinque ripas possident. Si fluuius repentina decessu agrum meum reliquerit, similiter mihi fundum meum restitui. Sin fluuius non cursim et cito, sed lente et paulatim in suum locum redierit, agrum mihi non restitui, sed iis, qui praedia habent finitima, quasi iure alluisionis, cedere. Strauchius in *Dissert. ad ius Iustinian. VI. S. 44.* putat, partem aluei relicti, si flumen totum agrum occupauit et sensim recessit, iure alluisionis vicinis accrescere: sin impetu decessit, iure quidem stricto, nouum alueum derelictum vicinis accedere, quia formam agri amisit, sed ex aequitate ad pristinum dominum reuerti. Eandem opinionem propugnarunt Struuius in *Syntagm. iurisprud. Exercit. 41, 32.* et Mencke in *Systemat. iur. civil. secundum Pandect. Libr. 41. Tit. 1. §. 20.* Noodtius in *probabil. iur. civil. Libr. 1. cap. 1.* Caii sententiam sic explicat, vt, si alluuiione fluminis forma agri mutata sit, mutatus quoque eius recessu

cessu, dominus intelligatur, quia sublata forma, non prior,  
 sed aliis ager restitutus sit. Si vero ager ad tempus inundatus  
 et non in alueum conuersus fuerit, tunc agrum, recedente  
 flumine, ad priorem dominum reuerti. Mihi quidem mens  
 Caii videtur esse satis perspicua. Proponit eam speciem, vbi  
 flumen totum agrum occupauit ita, vt hic ager iam in al-  
 ueum sit conuersus. Tunc vero ager formam propriam ami-  
 fit et iuris priuati esse desiit. Noodtius *de usufructu. Libr. 2.*  
*cap. xx.* obseruat, rei formam tunc mutari, quando res ob  
 id, quod contingit, in aliud nomen transeat. Quod si igitur  
 flumen ad priorem alueum postea redierit, dominus iure  
 stricto agrum suum, qui propriam indolem iam amisit et in  
 alueum transmutatus ideoque publici iuris effectus est, vin-  
 dicare amplius haud potest, cum dominium eius sit extin-  
 ctum, licet Caius recte statuat, aequitatem suadere, vt domi-  
 no ager restituatur. Durum profecto foret aliquem domi-  
 nio, quod ei inuitio vi erexitur est, ita priuare, vt eiusdem  
 commoda occasione recuperandi spem amplius non habeat,  
 cum ager sine dolo et culpa possessoris, fluminis impetu oc-  
 cupatus fuerit. Certe eiusmodi occupatio ad casus fortuitos,  
 qui imprudentibus et tale nihil cogitantibus accidentunt, et qui-  
 bus infirmitas humana resistere non potest, est referenda.  
**L. 23. D. de R. I. et L. 30. D. ad leg. Falcid.** His praemissis, nunc proprius *textum*, cuius explicationem iam dare  
 cupio, contemplari iuuat. Ac primo quidem hoc est satis  
 manifestum, eum unice accipiendum esse de inundatione fun-  
 di,



di, quae fine aluei mutatione accidit. Licet vero fundus aqua sit opertus et dominus eo iam vti fruique impediatur, hic tamen casus fatalis fundum, qui iuris priuati est, non efficit publicum. Satis luculenter id praecepit Vlpianus in l. 7. §. 9. D. de fluminib. his quidem verbis: *aliter atque si flumen aliquam terram inundauerit, non alueum sibi fecerit, tunc enim non fit publicum, quod aqua opertum est.* Est igitur inundatio duplicitis generis, quarum una, si flumen nouum alueum facit, formam fundi tollit: altera, cum flu- mem alueum non mutat, licet ripas egrediatur atque late se effundat, ius dominii non aufert. De posteriore §. 24. I. de divis. rer. vti tota series orationis ostendit, hanc regulam tradit, ea speciem fundi non mutari. Species hic dicitur forma, qua rei proprietates sunt aestimandae. Paulus in l. 23. D. de rei vindicat: *in his corporibus, quae ex distantibus corporibus essent, constat, singulas partes retinere suam propriam speciem, ut singuli homines, singulae oves.* Adde l. 76. D. de indic. Deinde non est negandum, si tempus, quo usque durat inundatio, respicis, eam esse vel perpetuam, vel temporariam. Prior huc non pertinet, cum omnino formam agri mutet isque iam in stagnum, vel in flu- men, conuersus sit. Hinc ea iura, quae ad formam rei sunt adstricta, inundatione perpetua perimuntur, veluti ususfru- ctus. Paulus Libr. 3. sentent. Tit. 6. §. 31. L. 10. §. 30. et l. 12. D. quib. mod. ususfruct. amitt. Iura quoque non- vtendo amittuntur, cum quis intra tempus praescriptioni de- finitum

finitum, ea non exercuerit. Sic Vinnius in *Commentar. ad Institut. Libr. 2. Tit. 1. §. 14.* refert, inter Batauos esse receptum, vt is ager habeatur derelictus, qui per decem continuos annos mersus fuerit, si non aliqua exstant continuatae possessionis signa, quia et pescando retineri queat possessio. Sola igitur inundatio temporaria hic est intelligenda, quae, vt olim iam animaduertit Gryphiander de insul. cap. 29. 69. sqq. ius dominii, ususfructus, seruitutis et possessionis non tollit. Cuius quidem rei naturalis ratio in eo est posita, quia inundatione temporaria ipsa fundi substantia non mutatur eiusque pars inferior manet solida, vt ideo Grotius de iur. bell. et pac. Libr. 2. cap. 8. §. 10. et Pufendorf in iur. natur. et gent. Libr. 4. cap. 7. §. 12. idem iam iure naturae obtinere, non temere sibi persuaserint. Iam vero necesse est, vt eam, quam defendeo sententiam, auctoritate veterum Iureconsultorum confirmem. Adeo vero hic Iauolenus, qui in l. 24. D. quib. mod. ususfruct. haec tradit: cum usumfructum horti haberem, flumen hortum occupauit, deinde ab eo recessit: ius quoque ususfructus restitutum esse, Labou ni videtur: quia id solum perpetuo eiusdem iuris mansisset. Ita id verum puto, si flumen inundatione hortum occupauit: nam si aliue mutato, inde manare coepit, amitti usumfructum existimo, cum is locus aliue publicus esse coepit, neque in pristinum statum restitui possit. Neque huic sententiae aduersatur Pomponius, qui in l. 23. eod. Tit. tunc, si ager flumine fuerit inundatus, ususfructum et

b

pro-



proprietatem amitti, existimat. Iam enim Zieglerus in *animaduers.* ad Grotii locum supra *adductum* monuit, in hac *lege*, propter metum plenariae ademptionis, proprietatem dici amisitam. Quae quidem explicatio mihi tanto magis probatur, quo certius Pomponius ipse suam mentem in fine *leg. excitat.* his verbis expressit: *sed, quemadmodum, si eodem impetu discesserit aqua, quo venit, restituitur proprietas, ita et usumfructum restituendum, dicendum est.* Male quidem philosophatur Pomponius, dum proprietatem et usumfructum eodem modo amitti, statuit, cum tamen ususfructus longe facilius amittatur. Interdum scilicet ea iura, quae exercere casus fatalis non finit, amisisse videuntur. L. 12. §. 2. D. de rebus auctoritat. *indic.* Sed non usus ei, qui per vim necessitatis impeditur, nocere non debet. L. 35. D. de servitut. *praed. rusticor.* Confer hic in primis Rauuii *princip. doctrin. de praescript.* §. 105. Certe Vlpianus in *l. 1.* §. 9. D. de itin. *actuque* hanc humanitatis plenam sententiam subministrat: *si quis propter inundationem, usus non sit itinere actuque hoc anno, cum superiore usus sit, potest, repetita die, hoc interdicto vti per in integrum restitucionem ex illa parte, si qua mihi insta causa videbitur.* Adde Paulum in *l. 30.* §. 3. D. de acquirend. vel amitt. *possess.* Ex his omnibus igitur luculenter intelligitur, dominum ideo, quod fundo inundato per aliquod temporis interwallum vti fruique haud potuit, dominio ipso, modo substantia fundi haud prorsus fuerit immutata, non excidere,

qui

qui vel ideo, quod fructibus rei propriae per aliquod tempus carere cogitur, damnum satis graue sine sua culpa, patitur. Vti vero haec sententia naturali aequitati est maxime consentanea, ita et cum placitis, quae veteres in materia inundationum obseruare erant soliti, amice conspirat. Quae vis fluminis aufert, ea non fiunt res derelictae, vel nullius §. 21. I. de diuis. rer. Harmenopulus in *Promtuar. iur. Libr. 2. Tit. 1, 41.* Iuuat hic asserre locum ex Aggeno in *Commentar. in Frontinum de limitib. agror. in Goefsi scriptor. rei agrar. p. 57,* qui ita se habet: *Cassius Longinus vir prudentissimus, iuris auctor, hoc statuit, vt, quicquid aqua lambendo abstulerit, id possessor amittat, quoniam scilicet ripam suam sine alterius damno tueri debet.* Si vero maiore vi decurrentis alueum mutasset, suum quisque modum agnosceret, quia non possessoris negligencia, sed tempestatis violentia abruptum appareret. Nemo igitur lucri faciendi caussa res, quas aqua eripuit et aliunde transtulit, tollere ac retinere potest, quia alias furti obstrin- gitur, siue earum dominum sciat, siue nesciat. L. 43. §. 4. D. de furt. Dominus igitur eiusmodi res, licet fuerint dete- riores redditae et corruptae, vindicare potest. L. 15. §. 3. D. de rei vindicat. Expressis verbis Vlpianus ad l. 9. §. 1. D. de damni. infed. statuit: *de his autem, quae vi fluminis importata sunt, an interdiuum dari possit, quaeritur.*

b 2

Tre-



Trebatius resert, cum Tiberis abundasset et res multas  
multorum in aliorum aedificia detulisset, interdictum a  
praetore datum, ne vis fieret dominis, quo minus sua  
tollerent, auferrent, si modo damni infelli re promitterent.  
Consulatur hic quoque Fritschius de iur. grut. cap. 5:  
secc. 3. 19. Iura quoque seruitutum ideo, quod ob inun-  
dationem exerceri non potuere, non amitti, docet Iauolenus  
in l. 14. D. quenadmod. seruitut. amitt. his quidem verbis:  
*Si locus, per quem via, aut iter, aut adus debebatur,*  
*impetu fluminis occupatus esset et intra tempus, quod ad*  
*amittendam seruitutem sufficit, alluvione facta, restitutus*  
*est: seruitus quoque in pristinum statum restituitur: quod*  
*si id tempus praeterierit, ut seruitus amittatur, renouare*  
*eam cogendus est.* Quae vero ex iure Romano hactenus  
proposui, ea, quatenus sanctionibus legum Germanicarum  
aliud constitutum non est, in nostris quoque foris obtinent.  
Neque hodie inundatione temporaria dominium fundi muta-  
tatur. Sic etiam apud nos domino, cui aqua res suas eri-  
puit, in locum alienum ingredi easdemque inde repetrere per-  
missum est. Berger in Oeconom. iur. Libr. 2. Tit. 12. §. 3.  
Si quis eiusmodi res inuenerit, secundum ius prou. Saxon.  
Liber. 2. art. 29. et 37. eas clam retinere non potest, sed  
potius eas sollemniter magistratui, vel publice indicare de-  
bet. Vsum huius iuris ostendunt Carpzov. Part. 3. Consta-  
tut.

tut. 31. def. 18. Berger in loc. adducto et Schott institut.  
iur. Saxon. Libr. 2. Sect. 2. §. 15. Sed plura dicere vetat  
temporis penuria. Potius iam indicendi sunt summi, quos  
ab ordine nostro sibi expetit

CANDIDATUS PRAESTANTISSIMVS atque

DOCTISSIMVS

**CHRISTIANVS GEORGIVS  
WITTIVS**

HAMBVRGENSIS,

honores. De vita studiorumque suorum ratione haec retulit:

**E**go CHRISTIANVS GEORGIVS WITT, natus sum  
Hamburgi, anno huius saeculi quinquagesimo nono, ex pa-  
rentibus, GEORGIO mercatore et CATHARINA MAR-  
GARETHA e gente PETERSSONIANA, qui optimi paren-  
tes me non solum a prima iuuentute, sed etiam usque ad  
praematuram mortem, quae proh dolor! sub fine pree-  
teriti anni animum maximo luctu affecit, magno amore  
sunt amplexi, ut illos ad cineres usque pia grataque men-  
te venerari non desistam. Ab ineunte aetate institutione

b3

prae-



praeceptorum ludi Iohannei, praecipue b. HACKII, quem  
 adhuc pie colo, b. HEERWAGII, Conreditoris SCHETELI-  
 CHII, qui ante nonnullos annos ad Pastoris Zellenis mu-  
 nus admotus est, et b. Reditoris MÜLLERI tam in religio-  
 ne, quam in reliquis liberalibus artibus, usus sum. Po-  
 stea ad altiora progressus, illustre Gymnasium Hambur-  
 gense frequentan*ti*, in quo in iure naturae explicando b.  
 AMSINK I.V. Lt. quem nobis praematura morte ereptum pie  
 lugeo, in historiis SCHÜTZE S. S. Doctor, in philosophicis  
 NÖLTING de me ita meriti sunt, ut iis gratissi-  
 mum spondeam animum. Tandem me in hanc musarum  
 sedem Vitebergensem contuli, et in ciuium academicorum  
 numerum anno MDCCCLXXXI mense Martio, Redore  
 Magnifico TITTMANNO, receptus, Praeceptores naclis  
 sum fidelissimos, Excellentissimos atque Illustres HILLERV,  
 SCHMIDIVM, PAVLI, FISCHERV, WIESANDIVM,  
 KLÜGELIVM, quibus omnibus animum gratissimum profi-  
 teor. Nec silentio praetereundus mihi est Iurisconsultissi-  
 mus TRILLERV, cuius benevolentia erga me tanta fuit,  
 ut me peregrinum humanissime exciperet, resque meas  
 consiliis suis regeret, cuius institutione fidelissima per bien-  
 num ita felici successu usus fui, ut illo praeterlapsò, exa-  
 men vtrumque, et pro Candidatura et quod rigorosum  
 vocatur, subire potuerim, ad quod benevolē admissus, atque  
 inde

inde ita dimissus fui, ut maxime dignus indicarer. Cuius  
*Viri de me merita semper mente gratissima prosecuturus*  
*sum.* Postea, anno MDCCCLXXXIII Helmstadium  
*me contuli,* ut studia mea niagis perficerem, ibique a Pro-  
*reclatore Magnifico, Consiliario BEIREIS, in Album ci-*  
*uium academicorum relatus, in praxi discenda et tra-*  
*etanda dices habui Illustres Viros, KRATZENSTEINIVM*  
*atque OELZIVM.* Iam in hanc Musarum sedem reuer-  
*sus, in eo sum, ut Licentiati vtriusque iuris honores con-*  
*sequar, quod ut feliciter eueniat, ex animo opto.*

Nostrer vero Candidatus in vtroque, quod sustinuit,  
 examine nobis doctrinam suam ita probauit, et ei honores  
 Licentiatii iuris vtriusque merito conferendos esse, iudicaue-  
 rimus. Necesse tamen est, ut prius adhuc sollempne speci-  
 men edat. Quam ob rem die XVII. Junii dissertationem in-  
 auguralem, *quae quasdam obseruationes de Iure commer-  
 ciorum exhibet, Praefide Viro Illustri, D. IO. CAROLO*  
*GEBHARDO REINHARDO, Professore Institutio-*  
*nnum ordinario, Curiae prouincialis, Scabinatus et Fa-*  
*cultatis iuridicae, item Iudicij prouincionalis in Marchi-*  
*onatu Lusatiae inferioris Assessore, Collega mihi longe a-*  
*micissimo, more maiorum, publice defensurus est. Hunc*  
*aetum sollempnem ut RECTOR ACADEMIAE MA-*  
 GNI-



GNIFICVS, OMNIVM ORDINVM DOCTORES et AS-  
SESSORES AMPLISSIMI, nec non GENEROSISSIMI et  
NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES, honorifica praefen-  
tia illustrare ac condecorare velint, ea, qua decet, humani-  
tate oro rogoque.

P. P. Domin. I. P. F. Trinitat. A. S. R.

CIC CC LXXXIIII.

VITERBERGAE, EXCVDIT CHARISIVS.

CHARISIVS  
CAROLO  
CETZARIO RUMINARIO  
GEN-




Wittenberg, Diss., 1783-85



f

8c.





ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
H. T.  
PRO - DECANVS  
**D. GEORGIVS STEPHANVS  
WIESAND**

PROFESSOR DIGESTI INFORTIATI ET NOVI  
ORDINARIUS CVRIAЕ PROVINCIALIS CONSISTO-  
RII ELECTORALIS SCABINATVS ET FACVLTATIS  
IVRIDICAE ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO  
SALVTEM.

